



**Commentariorvm, Ac Dispvlationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Qvaest. XLII. De doctrina Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Vnde bene coniectat Caietanus hic, quamquam paucissimis verbis rei summa ab Euangelistis reteratur, tamen verisimile esse Dæmonem longa oratione fuisse vsum, vt Christum flecteret, quamquam verisimilius sit à CHRISTO solo vno, aut altero verbo Dæmonem fuisse superatum, ac repulsum.

QVÆSTIO XLII.

De Doctrina Christi, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de doctrina Christi.

Et circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo, vtum CHRISTVS debuerit predicare solum Iudeis, an etiam Gentilibus.

Secundo, vtum in sua predicatione debuerit turbationem Iudeorum vitare.

Tertio, vtum debuerit predicare publice, vel occulte.

Quarto, vtum debuerit docere solum verbo, vel etiam scripto.

De tempore autem, quo docere incepit, supra dictum est, cum de baptismo eius ageretur.

ARTICVLVS I.

Vtrum conueniens fuerit, Christum Iudeis, & non Gentilibus predicare.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod CHRISTVS non solum Iudeis, sed etiam Gentilibus debuerit predicare. Dicitur enim Isaiæ quadragesimo nono. Parum est, vt sis mihi seruus ad iustificandas tribus Israel, & facies Iacob conuertendas, dedit te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terre. Sed lumen, & salutem CHRISTVS prebuit per suam doctrinam: ergo videtur, parum fuisse si solum Iudeis, & non Gentilibus predicauit.

2. Præterea, sicut dicitur Matthæi septimo. Erat docens eos, sicut potestatem habens. Sed maior potestas doctrinæ ostenditur in instructione illorum, qui penitus nihil audierunt quales erant Gentiles, vnde Apostolus dicit ad Romanos decimo quinto. Sic predicauit Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum edificarem. Ergo multo magis Christus predicare debuit Gentibus, quam Iudeis.

3. Præterea, Filius est instructio multorum, quam vnus. Sed Christus aliquos Gentilium instruxit, sicut mulierem Samaritanam Ioannis quarto, & Chananaeam Matthæi 15. Ergo videtur, quod multo fortius Christus debuerit multitudini Gentium predicare.

Sed contra est, quod Dominus dicit Matthæi 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. Sed Rom. 10. dicitur. Quomodo predicabunt, nisi mittantur? ergo Christus non debuit predicare nisi Iudeis.

Respondeo dicendum, quod conueniens fuit predicationem Christi, tam per ipsum, quam per Apostolos à principio, solis Iudeis exhiberi. Primo quidem, vt ostenderet per suum aduentum impleri promissiones antiquitus factas Iudeis, non autem Gentilibus. Vnde Apostolus dicit Roman. decimo quinto. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcissionis (id est Apostolorum, & predicatorum Iudeorum) propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum. Secundo.

Fr. Suarez. tom. 2.

Secundo, vt eius aduentus ostenderetur esse à Deo. Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt: vt dicitur Roman. 13. Hoc autem debitus ordo exigebat, vt Iudeis, qui Deo erant propinquiiores per fidem & cultum vnus Dei, prius doctrinæ Christi proponeretur, & per eos transmitteretur ad Gentes. Sicut etiam in celesti hierarchia, per superiores Angelos ad inferiores, diuina illuminationes deueniunt. Vnde super illud Mat. 15. Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, dicit Hieronymus Non hoc dicit, quin & ad gentes missus sit: sed quod primum ad Israel missus est. Vnde & Isa. vltimo dicitur. Mittam ex eis, qui saluari fuerint (scilicet ex Iudeis) ad Gentes, & annuntiant gloriam meam Gentibus. Tertio, vt Iudeis auferret calumniandi materiam: vnde super illud Mat. 10. in via Gentium ne abieritis, dicit Hieronymus. Opponebat primum aduentum Christi nuntiari Iudeis, ne iustam haberent excusationem, dicentes, ideò se Dominum reiecisse, quia ad Gentes, & Samaritanos Apostolos miserit. Quarto, quia Christus per crucis victoriam, meruit potestatem & dominium super Gentes. Vnde dicitur Apocal. 2. Qui vicerit dabo illi potestatem super Gentes, sicut & ego accepi à Patre meo: & Phil. 2. dicitur, quod quia factus est obediens vsque ad mortem crucis, Deus exaltauit illum, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua ei cõfiteatur. Et ideò ante passionem suam noluit Gentibus predicari suam doctrinam: sed post passionem dixit discipulis, Mat. 16. Euntes docete omnes Gentes, propter quod, vt legitur Ioann. 12. cum imminente passione quidam Gentiles vellent Iesum videre, respondit, Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Et sicut August. dicit ibidem, se dicebat granum mortificandum in infidelitate Iudeorum, & multiplicandum in fide omnium populorum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus fuit in lumen, & salutem Gentium per discipulos suos, quos ad predicandum Gentibus misit.

Ad secundum dicendum, quod non est minoris potestatis, sed maioris facere aliquid per alios, quam per seipsum. Et ideo in hoc maxime potestas diuina in Christo monstrata est, quod à discipulis suis tantam virtutem consulit in docendo, vt Gentes, quæ nihil de Christo audierant, conuerterent ad ipsum. Potestas autem Christi in docendo attenditur, & quantum ad miracula, per quæ doctrinam suam confirmabat, & quantum ad efficaciam persuadendi, & quantum ad auctoritatem loquentis: quia loquebatur quasi dominum habens super legem, cum diceret. Ego autem dico vobis: & etiam quantum ad virtutem rectitudinis, quam in sua conuersatione monstrabat sine peccato viuendo.

Ad tertium dicendum, quod sicut Christus non debuit à principio indifferenter Gentilibus suam doctrinam communicare, vt Iudeis tanquam primogenito populo deditus obseruaretur: ita etiam non debuit Gentiles omnino repellere, ne spes salutis eis præcluderetur. Et propter hoc aliqui Gentilium particulariter sunt admissi, propter excellentiam fidei, & deuotionis eorum.

COMMENTARIVS.

Sententia D. Thom. in hoc articulo est, conueniens fuisse vt Christus per se Iudeis tantum predicaret, gentibus autem per Apostolos, & discipulos suos. Cuius rei optimas, & perspicuas congruentias affert. Intelligendum est autem (vt ex eodem colligitur in solut. ad 3.) non fuisse simpliciter Christo prohibitum ne gentes doceret, cum interdum legamus id fecisse: sed missum esse dumtaxat, vt publice, & ex instituto Iudeis predicaret, non verò gentibus, vtque hoc conuenienti tempore reservaret per Apostolos exequendum. Ex quo recte colligitur Diuus Thomas in sol. ad 3. Christum non solum fuisse doctorem Iudeorum, sed etiam Gentium, modo

Christus
doctorem
gentium
quod
modo.

Ad 3. huius

nimirum quodam modo excellentiori, quippe virtutem eius, & potestatem excellentiae valde commendat. Habuit quippe auctoritatem ad creando doctores gentium longe aliter, quam homines possint: etiam si vrantur potestate ab eodem Christo data. Nam licet vicarius Christi possit mittere ad praedicandum & dare ius docendi, non tamen facultatem, seu sufficientiam ad docendum, & multo minus potest tribuere vim, & efficaciam verbo. At vero Christus utrumque praebuit Apostolis, quos totius orbis doctores instituit, iuxta illud: Ego dabo vobis & sapientiam, cui non poterunt contradicere omnes adversarii vestri. Luc. 21. Et ideo Paulus ad Gal. 1. gloriatur se esse constitutum Apostolum gentium non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & 1. ad Timoth. 2. In quo positus sum ego predicator, & Apostolus (veritatem dico, & non mentior) doctor gentium in fide, & veritate, quod nimirum Doctores ab ipso Christo immediate creati excellentiores fuerint, & sapientia, virtuteq; maiores.

Luc. 21.
Galat. 1.

1. Tim. 2.

Obiectio.

Responsio.

Sed potest quis circa rationem quartam D. Tho. obijcere. Probat enim ideo noluisse Christum doctrinam suam gentibus ante mortem praedicare: quia eadem morte potestatem, & dominium super gentes meruit. Quae ratio eodem modo in Iudaeis procedit, quia etiam in illos singulare dominium, & potestatem per mortem comparavit: nam & pro illis mortuus est, sicut & pro gentibus. Respondetur recte concludi, hoc solo titulo non fuisse praedicandum Iudaeis ante mortem: fuerunt tamen aliae causae, propter quas illis praedicare Christus debuit, scilicet quia illis fuerat specialiter promissus ac missus: & quia illis credita erant eloquia Dei, ac denique quia omnino oportebat, ut Christus per seipsum aliquibus praedicaret: non poterat autem ab alijs convenientius ordiri, quam a Iudaeis.

ARTICVLVS II.

Utrum Christus debuerit Iudaeis sine eorum offensione praedicare.

231.



Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod Christus debuerit Iudaeis sine eorum offensione praedicare. Quia ut Augustinus dicit in libr. de Agone Christiana. in homine Iesu Christo se nobis ad exemplum vitae praebuit filius Dei. Sed nos debemus vitare offensionem non solum fidelium, sed etiam infidelium: secundum illud 1. Corinth. 10. Sine offensione estote Iudaeis, & Gentibus, & Ecclesiae Dei. Ergo videtur quod etiam Christus in sua doctrina offensionem Iudaeorum vitare debuerit.

2. Praeterea, Nullus sapiens debet facere unde effectum sui operis impediatur. Sed per hoc, quod sua doctrina Christus Iudaeos turbavit, impediatur effectus eius doctrinae: dicitur enim Lucae vndecimo, quod cum Dominus Phariseos, & Scribas reprehenderet, ceperunt grauiter insistere, & eos eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quarentes aliquid capere ex ore eius, ut accusarent eum. Non ergo videtur conveniens fuisse, quod eos in sua doctrina offenderet.

3. Praeterea, Apostolus dicit prima ad Timotheum quinto. Seniores ne increpaueris, sed obsecra ut patrem. Sed sacerdotes, & principes Iudaeorum erant illius populi seniores. Ergo videtur, quod non fuerint duris increpationibus arguendi.

Sed contra est, quod Isaia 8. fuerat prophetizatum, quod Christus esset in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel.

Respondetur dicendum, quod salus multitudinis est praefenda paci, quorumcunque singularium hominum. Et ideo

A quando aliqui sua peruersitate multitudinis salutem impediunt, non est timenda eorum offensa vel predicatori vel doctore. ad hoc, quod multitudinis saluti provideat. Scriba autem & Pharisei, & principes Iudaeorum sua malitia plurimum impediabant populi salutem: tum quia repugnabant Christi doctrina, per quam solam poterat esse salus: tum etiam quia prauis suis moribus vitam populi corrumpebant. Et ideo Dominus non obstante offensione eorum, publice veritatem docebat, quam illi oderant, & eorum vitia arguebat. Et ideo dicitur Matthaei 15. quod discipulis Domino dicentibus, Scis quia Iudaei audito hoc verbo, scandalizati sunt: respondet, Sinire illos, ceci sunt, ducesque caecorum: caecus autem si caeco ductum praestet, ambo in foueam cadunt.

Ad primum ergo dicendum, quod homo sic debet esse sine offensione omnibus, ut nulli det suo facto vel dicto minus recto occasionem ruinae. Sed cum veritate scandalum oritur, magis est sustinendum scandalum, quam virtus relinquatur: ut Gregor dicit.

Ad secundum dicendum, quod per hoc, quod Christus publice Scribas & Phariseos arguebat, non impediuit, sed magis promouit effectum suae doctrinae, quia cum eorum vitia populo innotescerent minus auerteretur a Christo propter verba scribarum, & Phariseorum, qui semper doctrinae Christi obfistebant.

Ad tertium dicendum, quod illud verbum Apostoli est intelligendum de illis senioribus, qui non solum aetate vel auctoritate, sed etiam honestate sunt senes, secundum illud Numerorum vndecimo Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint. Si autem auctoritatem senectutis in instrumentum malitiae vertant, publice peccando, sunt manifeste & acriter arguendi: sicut & Daniel dixit Danieli decimo tercio. Inuenerat dierum malorum, &c.

Homil. 7. in
Ezech. ali.
quantulum
a princ.

Doctrina huius articuli moralis est, & concinatoribus utilis, ut & prudenter, & fideliter suo munere fungi sciant, & ideo in sequenti disputatione latius tractabimus.

ARTICVLVS III.

Utrum Christus omnia publice docere debuerit.



Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Christus non omnia publice docere debuerit. Legitur enim multa seorsum discipulis dixisse, sicut patet in sermone Cana, unde & Matth. decimo dixit. Quod in aure audistis in cubilibus, predicabitur in rectis. Non ergo omnia publice docuit.

2. Praeterea: profunda sapientiae non sunt nisi perfectis exponenda: secundum illud 1. ad Corinth. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed doctrina Christi continebat profundissimam sapientiam. Non ergo erat imperfecta multitudini communicanda.

3. Praeterea, Idem est, veritatem aliquam occultare silentio, & obscuritate verborum. Sed Christus veritatem, quae predicabat, occultabat turbis obscuritate verborum, quia sine parabola non loquebatur ad eos: ut dicitur Matth. 13. ergo paratione poterat occultare silentio.

Sed contra est, quod ipse dicit Ioannis 18. In occulto locutus sum nihil.

Respondeo dicendum, quod doctrina alicuius potest esse in occulto tripliciter. Vno modo quantum ad intentionem docentis, qui intendit suam doctrinam non manifestare multis: sed magis occultare. Quod quidem contigit dupliciter, quandoque ex inuidia docentis, qui vult per suam scientiam excellere, & ideo scientiam suam non vult aliis communicare. Quod in Christo locum non habuit: ex cuius persona dicitur Sap. 7. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & hone-

232.
Opus 6. 60. c.
14.

Tr. 96. cir. casin. 10. 5. & honestatem illius non abscondo. Quandoq; verò hoc contingit propter inhonestatem eorum, quæ docentur: sicut Aug. dicit super Ioan. quod quædam sunt mala, quæ portare non potest qui hunc pudor humanus, unde de doctrina heretico rum dicitur Prou. 9. quæ suntius dulciores sunt. Doctrina autem Christi non est, neq; de errore neq; de immunditia, & ideo Dominus dicit Mar. 4. Nunquid venit lucerna, idest, vera & honesta doctrina, ut sub modio ponant? Alio modo aliqua doctrina est in occulto, quia paucis proponitur, & sic Christus etiã nihil docuit in occulto: quia Christus omnem doctrinam suam vel turbe toti proposuit, vel omnibus suis discipulis in communi. Vnde Aug. dicit super Ioan. Quis in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur, præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos vult innotescere multis? Tertio modo aliqua doctrina est in occulto quantum ad modum docendi. Et sic Christus quædam turbe loquebatur in occulto, parabolis utens ad annuntianda spiritalia mysteria, ad quæ capienda non erant idonei, vel digni. Et tamen melius erat eis, vel sic sub tegumento parabolarum, spiritalium doctrinam audire, quam omnino ea privari. Harum tamen parabolarum apertam, & nudam veritatem Dominus discipulis exponerebat, per quos deueniret ad alios, qui essent idonei: secundum illud 2. ad Timot. 2. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt, & alios docere. Et hoc signatum est Num. 4. ubi mandatur, quod filij Aaron inuoluerent vela Sanctuarij, quæ Leuitæ inuoluta portarent.

Can. 10. in Mat. parum à med. Ad primum ergo dicendum, quod (sicut Hilarius dicit super Mat. exponens illud verbum inductum) non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermoneari & doctrinam irradidisse in tenebris: sed hoc dicit, quia omnis sermo eius carnalibus tenebrae sunt, & verbum eius infidelibus nox est. Itaq; quod à se dictum est, cum libertate fidei, & confessionis vult esse loquendum. Vel secundum Hier. comparatiue loquitur: quia videlicet erudit eos in paruo Iudæa loco respectu totius mundi, in quo erat per Apostolorum prædicationem doctrina Christi publicanda.

Tr. 113. in Ioan. in med. illius. 10. 9. Ad secundum dicendum, quod Dominus non omnia profunda sua sapientia sua doctrina manifestauit, nõ solum turbe, sed nec etiam discipulis, quibus dixit Ioan. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Sed tamen quodcumq; dignum duxit alij tradere de sua sapientia, non in occulto, sed palam proposuit, licet non ab omnibus intelligeretur. Vnde Augustinus dicit super Ioan. Intelligendum est ita dixisse Dominum. Palam locutus sum mundo: ac si dixisset. Multi me audierunt, & rursus non erat palam, quia non intelligebant.

In cor. art. Ad tertium dicendum, quod turbe Dominus in parabolis loquebatur (sicut dictum est) quia non erant digni, nec idonei nudam veritatem accipere, quam discipulis exponerebat. Quod autem dicitur, quod sine parabolis non loquebatur eis, secundum Chrysostom. intelligendum est quantum ad illum sermonem: quamuis alias sine parabolis multa turbe loquutus fuerit. Vel secundum August. in libr. de Quæstionibus Euangelist. hoc dicitur, non quia nihil proprie loquutus est, sed quia nullum fere sermonem explicauit, ubi non per parabolam aliquid significauerit, quamuis in eo aliqua proprie dixerit.

COMMENTARIUS.

Christus omnia publice, nihil in occulto docuit. Ioan. 18. Obiectio. August. Chrysost. Cyrill. Responsio D. Thom. simpliciter, & absolute est, Christum omnia publice, nihilque in occulto tradidisse. Quæ assertio sub his terminis de fide est, nam eisdem illam Christus asseruit. Ioan. 18. Ego palam loquutus sum mundo; & in occulto loquutus sum nihil.

Circa quæ verba omnes ferè expositores, præsertim Augustinus, Chrysostom. & Cyrill. dubitant

Mat. 17. 20. & 24. A quomodo Christus nihil in occulto docuerit, cum sæpe cum discipulis suis de diuinis rebus secreto egerit. Matth. 20. Assumpsit duodecim discipulos suos secreto, & c. & cap. 15. Accesserunt discipuli ad Iesum secreto, & dixerunt: Quare nos non posuimus eicere illum? & statim ipse docuit eos. Et similiter c. 24. Accesserunt ad eum secreto dicentes: Quando hæc erunt? & similiter eos solos instruxit de signis diei iudicii. Præterea in die Transfigurationis, cum opere ipso gloriam suam tribus tantum Apostolis ostendisset, dixit eis: Nemini dixeris visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat. Matth. 17. Ac denique in nocte cænæ solis Apostolis multa, magnæque mysteria declarauit, & illis specialiter dixit. Iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Nam licet interdum Christus publice coram multis loqueretur: ita tamen sub figuris, & parabolis loquebatur, ut à paucis intelligeretur, videlicet ab Apostolis, quibus interdum doctrinam suam priuatim declarabat, & dicebat. Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei: ceteris in parabolis, ut audientes non intelligant.

Responso. Ad has igitur difficultates soluendas, vsus est D. Thom. distinctione trimembri, quam sumplit ex August. tract. 113. in Ioannem, & possumus eam ad bimembrem reuocare. Dupliciter enim potest aliquis dici occultè loqui. Primo ex parte eorum, quibus loquitur, & ex modo, ac intentione qua loquitur: quia videlicet, & paucis loquitur, & secreto, ita ut intendat doctrinam suam occultare. Secundo ex parte modi, quia loquitur verbis obscuris, & sub ænigmate, quamuis coram multis loquitur. Prior sensus est proprius, quia hæc est significatio propria illius verbi, in occulto loqui. Et hoc sensu loquutus est Christus in citato loco. Vnde id explicuit, quia non in locis abditis, sed in synagoga, in templo coram omnibus semper docuerat. Quo verbo non excludit, quin interdum in deserto, interdum in nauis, nonnunquam domi loquutus sit: sed quod publica loca ad docendum non fugerit, neq; aliud publice, aliud occulte prædicaret. Denique quod nunquam ita docuit, ut voluerit doctrinam suam tanquam mendacem, & fraudulentam in angulo latere. Vnde fit interdum solos discipulos docebat, eos tamẽ iam antea instruxerat. Quod in aure auditu, prædicare super tecta, & quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Matth. 10. Ut autem acutè dicit August. qui ita loquitur, ut velit publice quæ docuit, non potest dici occultè loqui, etiam si paucis loquatur. Et ita facile expediuntur omnia, quæ in prima ratione dubitandi proponebantur. Quibus solum addenda sunt duo. Vnum est, licet Christus aliqua dixerit, vel ostenderit Apostolis, quæ voluit secreto teneri, quamdiu ipse viueret, hoc non repugnare supra dictis verbis eius. Quia illa omnia non aduersabantur ijs quæ publice docebat, neque erant talia, quæ publice dici non possent eo quod essent mala, aut suspecta (de quo genere doctrinæ Iudæi arguere Christum volebant) sed erant eiusdem rationis cum ijs, quæ publice docebat, & ad ea magis stabilienda, & declaranda referebantur, utq; oportuno tempore publice vulgarentur. Alterum est, multa Christum docuisse Apostolos, quæ non erant in vulgus imperitæ plebi propalanda: nec propterea dicendus est ea occultè docuisse. Quia (ut notauit Greg. lib. 2. Pastor. c. 4. & Iulius Clemens Rom. epist. 3.) ad sapientiam doctoris pertinet, non omnia in vulgus effundere, sed ea duntaxat quæ necessaria sunt, & quæ capere vulgus potest: altiora verò mysteria doctoribus solû ac magistris populi tradendo. Quæ satis docentur publice, quando ijs qui sunt capaces, & ad quorum munus pertinet eorum cognitio, proponuntur.

Mat. 10. August. Ex his facile expediri potest secunda obiectio, quæ procedit iuxta aliam acceptionem occultæ doctrinæ ex parte modi, quæ ad veritatem verborum

Cyrl.
Chrysofom.
Theophyl.

Christi non referebat. Quia (vt Augustin. etiam notauit) quando dixit, palam loquutus sum, non fuit sensus, id est, perspicue, & clare: sed coram multis: Potest tamen etiam hoc modo explicari Christi sententia: vt etiam volunt Cyril lib. 11. in Ioan. cap. 44. Chrysofom. hom. 82. Theophyl. Ioan. 18. qui tamen eodem modo exponit verba Christi. Chrysofom. enim, & Theophyl. dicunt Christum respondisse ad mentem interrogantis, vt negaret se aliquid secretiosum, aut falsum docuisse, quale ipsi Pharisei, & pontifices existimabant, & hoc modo dicit se palam semper docuisse. Quia nunquam propter eam causam quicquam occulte, & sub ænigmate dixerat: sed si quid interdum hoc modo docuisset, solum fuit, qui mysteria erant altiora, quam à multitudine capi possent. Aliter verò ait August. Christum dicere omnia se loquutum esse palam, nam (quod in ipso erat) paratus profecto erat in palam docere omnia, vt à cunctis posset intelligi: quia verò non omnes ad intelligendum erant, credendumque dispositi, idcirco non omnibus ita loquebatur. Tertiò potest dici ex Cyrillo, & ex paulo antea notatis, pietatis viam non ænigmatice, sed dilucide Christum mundo prædicasse, quoad omnia, quæ necessaria sunt, id est, quoad præcepta, doctrinamque moralem, & cognitionem fidei, quoad mysteriorum substantiam, altiora tamen mysteria pro temporum & personarum opportunitate obscurius tradidisse.

August.

Cyrl.

ARTICVLVS IV.

Virum Christus debuerit doctrinam suam scripto tradere.

Ad Heb. 8.
1. 2. in fin.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus doctrinam suam debuerit scripto tradere. Scriptura enim inuenta est ad hoc, quod doctrina commendetur memoria in futurum. Sed doctrina Christi duratura erat in æternum: secundum illud Luc. 21. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: Ergo videtur, quod Christus debuerit suam doctrinam scripto mandare.

2. Præterea, Lex vetus in figura Christi præcessit: secundum illud Hebr. 10. Vmbra habens lex futurorum bonorum. Sed lex vetus à Deo fuit descripta: secundum illud Exod. 24. Dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripti sunt. Ergo videtur, quod etiam Christus doctrinam suam scribere debuerit.

3. Præterea, Ad Christum, qui venerat illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent (vt dicitur Luca primo) pertinebat erroris occasiones excludere, & viam fidei aperire. Sed hoc fecisset doctrinam suam scribendo: dicit enim Augustin. in primo de consensu Euangel. quod solet nonnullos mouere, cur ipse Dominus nihil scripserit, vt alij de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim illi & maxime Pagani querunt, qui Christum culpant aut blasphemare non audent, eique tribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini. Discipulos verò eius dicunt magistro suo amplius tribuisse, quam erat, vt eum filium Dei dicerent, & Verbum Dei, per quod facta sunt omnia. Et postea subdit. Videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de ipse scripserit non quod alij de illo pro suo arbitrio prædicassent. Ergo videtur quod Christus ipse doctrinam suam scripto tradere debuerit.

Sed contra est, quod nulli libri ab eo scripti habentur, in ea none Scriptura.

Respondeo dicendum, conueniens fuisse Christum doctrinam suam non scripsisse. Primo quidem, propter dignitatem ipsius. Excellentiori enim doctore excellentior modus ap-

Li. 1. c. 7. an-
te medium
70. 4.

Eod. lib. 1. de
consensu
Euang. c. 7.
circa med.
som.

A doctrina debetur, & ideo Christo tanquam excellentissimo doct. vi hic modus competeat, vt doctrinam suam auditorum cordibus imprimeret. Propter quod dicitur Matth. 7. quod erat docens eos sicut potestatem habens. Vnde etiam apud Gentiles Pythagoras & Socrates, qui fuerunt excellentissimi doctores, nihil scribere voluerunt. Scriptura enim ordinatur ad impressionem doctrinae in cordibus auditorum, sicut ad finem. Secundo, propter excellentiam doctrinae Christi, quæ literis comprehendi non potest: secundum illud Ioan. vltim. Sunt & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros. Quos sicut Augustin. dicit, non spatio locorum credendum est mundum capere non posse: sed capacitatem legentium comprehendere fortasse non posse. Si autem Christus scripto doctrinam suam mandasset, nihil alius de eius doctrina homines estimarent, quam quod Scriptura contineret. Tertiò, vt ordine quodam ab ipso, doctrina ad omnes perueniret, dñ ipse scilicet discipulos suos immediatè docuit, qui postmodum alios verbo, & scripto docuerunt. Si autem ipse scripserit, eius doctrina immediatè ad omnes peruenisset. Vnde & de sapientia Dei dicitur Pro. 9. quod misit an. illas suas vocare ad arcem. Sciendum tamen est (sicut Augustin. dicit in primo de consensu Euang.) aliquos Gentiles existimasse Christum quosdam libros scripsisse, continentes quadam magica, quibus miracula faciebat, quæ disciplina Christiana condennat. Et illi tamen, qui Christi liberos tales se legisse affirmant, nulla talia faciunt, qualia illum libris talibus fecisse mirantur. Diuino enim iudicio sic errant, vt eosdem libros ad Petrum & Paulum dicant tanquam epistolari titulo prænotatos, eo quod in pluribus locis simul eos cum Christo pictos viderunt. Nec mirum, si à pingentibus fingentes decepti sunt, toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus eius.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut August. dicit in eodem lib.) omnibus discipulis suis tanquam membris sui corporis Christus caput est. Itaque cum illi scripserunt, quod ille ostendit, & dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod discipuli te capite cognouerunt. Quicquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illi tanquam suis manibus imperauit.

Ad secundum dicendum, quod quia lex vetus in sensibilibus figuris dabatur, ideo etiam conuenienter sensibilibus figuris scripta fuit. Sed doctrina Christi, quæ est lex Spiritus vite, scribi debuit non atramento, sed Spiritu Dei viuente, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, vt Apostolus dicit, 2. ad Cor. 3.

Ad tertium dicendum, quod illi qui Scriptura Apostolorum de Christo credere noluerunt, nec ipsi Christo scribentis credidissent: de quo opinabantur, quod magicis artibus fecisset miracula.

COMMENTARIVS.

PROBAT D. Thom. 3. rationibus non fuisse conueniens, vt Christus doctrinam suam scripto traderet. Et prima quidem ratio rectè probat, magis oportuisse vt Christus verbo doceret, quia ille est perfectior docendi modus. Præsertim quando doctrina non tantum ad illuminandum intellectum: sed etiam & maxime ad excitandum affectum ordinatur. Non videtur autem probare illa ratio non fuisse conueniens, vt præter illum modum scripto quoque Christus doceret, cum hic modus neque imperfectus sit, neque quidpiam includat, quod Christum non deceat, & melius videatur pluribus modis, quam vno duntaxat docere: Eo vel maxime, quod modus docendi in scripto habet aliquam

Tr. vlt. in
Euang. Ioan.
non procul
à fine.

Lib. 1. c. 61.
19 rom. 4.

Obiectio:
circa ratio-
nes D. Thom.

perfectionem, qua alius modus caret, scilicet durationem stabilem. Quo fit, ut non modo presentibus, sed prodesse etiam posteris queat. Et hinc enatur etiam tertia ratio. Cur enim non decuit, imo & melius fuit, ut Christus omnes nos immediate doceret, si non verbo, saltem scripto? Certè si fieri potuisset, ut omnes eum loquentem audiremus, melius id existimaretur, ac cōuenientius: ergo cum id potuerit saltem scripto fieri, cur negabimus id fuisse cōueniens? Nam reuera magna fuisset consolatio fidelium, si haberemus doctrinam ab ipso met Christo scriptam. Et hinc tandem obscurior redditur secunda ratio D. Thom. scilicet quod altitudo doctrinæ Christi non poterat literis comprehendendi. Quidquid enim verbo profertur, potest literis significari. Verba enim vel scripta, vel voce prolata idem significant, si ergo doctrina Christi quantumvis excellens, & alta potuit verbo doceri, cur non etiam scripto? Deinde doctrina Dei, & Spiritus Sancti scriptis continetur, nec propterea putant homines in diuina sciētia nihil aliud esse, quam in Scriptura continetur, non est autem altior, quam Spiritus Sancti, doctrina Christi.

Potissima quidem ratio, quæ conuincit fuisse cōueniens, ut Christus nihil nobis in scriptis traderet, & ita fecisse eum, quem constat nihil potuisse facere, vel omittere, quod non fuerit cōueniens. Dixi tamen super articulo i. huius 3. part. interdum dici cōueniens, quod non est malum: sed recta aliqua ratione fieri potest. Quidquid enim bonum est, ea ratione cōueniens dici potest, & hoc sensu nulla est hic difficultas. Quod enim Christus Dominus per se ipsum doctrinam suam scriberet, vel non scriberet, ex se indifferens est, & sine dubio potuit propter aliquam honestam rationem, vel fieri, vel omitti. Vnde, cum de facto omisum sit, non est dubium quin consulto, & non casu fuerit à Christo factum, & consequenter quod propter honestum finem effectum sit, atque adeo, quod in hoc sensu fuerit cōueniens. Alio vero modo dicitur cōueniens, quod consideratis omnibus magis eligendum iudicatur, vel quia propter se est amabilis, vel quia ad res alias est vtilius: & in hoc sensu non est facile rationem reddere, cur fuerit cōueniens ut Christus doctrinam suam scriptam non reliquerit. Neque fortasse id dicere est admodum necessarium, nam si aliquid scripisset, non deessent rationes plures, propter quas id cōuenientius crederetur, vel saltem erat res æque indifferens, quia & scribendo, & non scribendo æque commodè, ac sufficienter potuit Christus finem suum assequi, & nostræ salutis, ac instructioni providere. Si tamen hoc verum est (ut reuera esse videtur) hinc satis probabiliter concludi potest, cōuenientius fuisse, ut Christus in sua doctrina scribenda nullam operam poneret. Quia scriptioni intendere, per se non est expetibile, neque Christo ad aliquam eius perfectionem, dignitatem, ve necessarium. Si ergo ad commodum nostrum, neque erat necessarium, neque vtilius, impertinens fuit Christo huiusmodi actio. Quod autem nobis necessaria non fuerit, notum est. Quod autem nec vtilior, patet, quia quidquid Christus per se ipsum scribere potuit, potuit etiam per alios, & cum eodem fructu, & æquali certitudine, & autoritate. In quo differt multum Scriptura à voce viva. Nam Scriptura à quocumque manet, non magis mouet, neque illuminat, dummodo omnino eandem doctrinam, & eisdem verbis contineat, & eadem veritatis autoritate munita sit. Quæ omnia potuit habere Scriptura facta à Christo per ministros suos, & non per se ipsum: at vero viva vox tam ad docendum, quam ad mouendum, & delectandum magnam vim, & energiam habet à persona loquentis, & ideo maxime oportuit, ut hoc saltem modo Christus nos doceret.

Ex his facile est intelligere vim rationum D. Thom. Nam prima fundatur non solum in hoc, quod modus docendi voce melior est ac perfectior: sed etiam qui illo posito, aliud nihil ad Christi perfectionem, vel ad nostram vtilitatem referebat. Secunda verò solum est congruentia quædam, quia videtur magis consentaneum excellentiæ tantæ doctrinæ, ut in ipso modo docendi primi, ac supremi doctoris eius, indicatum sit illam literis comprehendendi non posse. Tertia etiam est optima, quia supposito, Scripturam illam non fuisse necessariam, cōuenientius fuit seruare ordinem suavis prouidentie Dei, ut homines per homines doceantur. Ex his etiam facile intelliguntur, quæ de hac quæst. disseruit Aug. li. 1. de consensu Euang. ca. 7. & sequentibus. Ex quo etiam intelligere licet ad Christi auctoritatem pertinuisse, ut scriptoribus eius tanta fides haberetur, ac si ipse per se ipsum scripisset.

Hic verò optabit scire quispiam, quæ fides adhibenda sit iis, qui dicunt Christum aliquid scriptum esse. Nam Eusebius i. li. Hist. ca. 13. refert se vidisse epistolam à Christo domino scriptam, & ad Regem Abgarum missam. Ioannis etiam 8. legimus Christum dixisse scripisse in terra. Respondetur, certissimum esse Christum nihil scripisse ad docendum, seu quod doctrinam contineret, ita enim docet vniuersa Ecclesiæ traditio. Nec enim verisimile est Christum scripisse aliquid ad docendum, idque in Ecclesia nunquam fuisse receptum. De illa verò epistola, & res incerta est, nam inter apocryphas ponitur à Gelasio, & ignoratur (si forte talis extitit epistola) vtrum à Christo per se ipsum, an per aliquem discipulum sit scripta. Ac denique illa non fuit ad doctrinam tradendam, sed vrbauitatis, & salutandi causa.

Aliud verò quod ex Ioanne 8. assertur non est ad rem. Primò, quia illa non erat Scriptura permanens & durabilis, de qua nunc loquimur. Secundo, quia non erat ad docendum, sed ad significandum iis, qui adulteram accusabant, dignos esse qui in terra scriberentur, iuxta illud Ierem. 17. Recedentes, à te in terra scribeni, ut indicauit Hieron. libr. 2. cont. Pelag. & Rabanus in Ioannem, & Ambrosius epistol. 76. dum ait. Peccatores in terra scribuntur, iusti in celo.

DISPUTATIO XXX.

In tres Sectiones distributa.

De Christo Doctore, eiusque doctrina.



In superiori tomo disp. 46. in initio adnotauimus, pertinuisse ad Christum, quatenus sacerdos est, & summus Ecclesiæ Pontifex, munus docendi, ac prædicandi hominibus: huius verò rei tractationem, quamuis cum disputatione de sacerdotio Christi coniuncta videretur, in hunc tamen locum distulimus: tum ut seruaremus D. Thom. ordinem: tum etiam quia Christus in mortali vita hoc præcipue munus exercuit, postquam se hominibus manifestare cepit. Possent autem de hac re multa disputari, quæ vel in superioribus sunt dicta, vel ad alia Theologiæ loca spectant, & ideo, ne eadem repetamus, neque ad peregrinas quæstiones diuertamus, indicabo breuiter omnia, & ea solum quæ ad præsens institutum spectant. Primò ergo inquiri posset, an in Christo Domino fuerint omnia, quæ ad perfectum doctorem necessaria sunt. Sed circa hanc rem videantur, quæ diximus de scientia, gratia, innocentia, ac perfecta vita eius. Nā hæ sunt, quæ perfectum aliquem doctorem constituunt: hic ergo solum dicendum, quæ ratione cōueniat Christo hoc munus, seu ius docendi homines. Secundo, inquiri posset, quibus, & vbi prædicauerit, de qua re satis dictum est in commentariis artic. 1. & 3. Tertio, quid, seu quam

Responsio ad obiectiones.

August.

Dubium.

Euseb.

Ioan. 8.

Respon.

Nihil ad doctrinam in scriptis à Christo relatum.

Gelaf. Pap.

Christus dixit scripsit in terra cur.

Ierem. 17.

Hieron.

Raban.

Ambros.

Doctrina in scriptis à Christo tradita, cōueniens ne fuerit.

quam doctrinam docuerit, & hac res pertinet ad materiam de Fide, & de Sacramentis, docuit enim doctrinam fidei & Sacramentorum: hic satis est supponamus docuisse semper veritatem, non solum quia Deus erat, sed etiam quia vir summè sapiens, ac summè iustus non potuit aliud docere. Quia neque falli potuit propter summam sapientiam, neque fallere propter bonitatem, & innocentiam. Vnde etiam constat non quancunque veritatem, sed ad bonum animi spectantem docuisse, de quo non nihil postea dicemus.

Quarto tractari potest, quomodo docuerit. In quo multa continentur, scilicet, an verbo, vel scripto, clarè, vel obscurè, publicè, vel secreto, de quibus iam egimus. Rursus an sufficienter doctrinam suam tradiderit, & veram esse, ac fide dignam ostenderit, & hoc ad materiam fidei spectat, ubi de credibilitate Christianæ fidei latissime disseritur, & in sequenti Disputatione agentes de miraculis Christi nonnulla insinuabimus. Deinde ad hoc etiam pertinet, quanta auctoritate, efficaciq; virtute verborum atque adeo quo fructu, vel scandalo prædicauerit, de quibus nonnulla dicemus. Vltimo dicendum est, quanto tempore prædicauit. Nam de initio prædicationis eius iam diximus fuisse post baptismum, seu tentationem eius. Quot verò annis durauerit, hoc loco dicendum erit.

SECTIO I.

Virum Christus ad docendos homines venerit, & perfecte munus illud obierit.

Christus mundi doctor. & magister divinitus datus. Isaia 30.

Matth. 23. Isaia 49. 55. & 6.

Isaia 2.

Act. 2. Ioan. 18. Luc. 4. Matth. 11.

Ioan. 13.

Luc. 9. August.

Dico primò, Christum Dominum esse missum à Patre in mundum, ut esset doctor hominum, est de fide. Quæ satis probatur Isaia 30. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & non faciet auolare à te ultra doctorem tuum. Quia ex quo Christus Ecclesiam docere cœpit, non illam deseruit, sed eam semper docet per se, aut per discipulos suos. Et ideo nomen hoc doctoris, seu magistri, sibi specialiter reservari voluit idem Dominus Matth. 23. dicens, Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus, de quo propterea dicit æternus Pater per eundem Isaia c. 55. Ecce testem populus dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus, & capite 49. Parum est, ut sis mihi seruus ad iussitandas tribus Israel, & facies Iacob conuersendos. Dedit te in lucem gentium, ut sis salus mea vsque ad extremum terræ, & cap. 61. Spiritus Domini super me, ad annuntium dum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & predicarem captiuis indulgentiam, & clausis aperitionem. Et Ioel. 2. Filij Sion exultate, & letamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiae. Quem locum de Christo esse intelligendum nullus, qui Iudæus nō sit, negare poterit. Præsertim cum paulo inferius subiungatur. Et erit post hæc, effundam de spiritu meo super omnem carnem. Quæ verba de Spiritu sancti aduentu interpretatus est Pet. Act. 2. Præterea ipsemet Christus testatus est de se Ioan. 18. Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati, & Luc. 4. ad euangelizandum pauperibus misit me. Et ideo Matthæi 11. ut se Christus ostenderet verum Messiam, inter alia signa, hoc præbuit, Pauperes Euangelizantur. Ac denique Ioannis 13. Vos, (inquit) vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Et ideo æternus Pater semel in baptismo, & iterum in transfiguratione eum ut proprium doctorem nobis proposuit, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui, ipsum audite. Vnde Augustinus orat. de quinque hæresibus ad finem, Gratiarum (inquit) tibi Deus, æterna virtus, gratias tibi Deus Pater omnipotens, qui & filium tuum ostendisti, & mihi in doctorem dedisti. Ratio verò, seu congruentia est. Quia ad salutem nostram, non tantum necessarium erat, ut Christus redemptionem nostram perficeret, sed etiam ut viam

salutis opere, & verbo nobis ostenderet, alioqui non esset nobis sufficienter prouisum, quia sine fidei, & mediorum cognitione, quæ ad salutem necessaria sunt, nullus posset saluari. Et ideo (ut Gregor. inquit 1. p. pastor. capit. 3.) Ita Deus in carne apparuit, ut non solum nos per passionem redimeret, sed etiam conuersatione doceret. Et ipse Dominus propter hanc causam seipsum appellat bonum pastorem, quod & verbo, & doctrina oues suas pascit, & pro eis animam suam ponat. Vnde in priori tomo disput. 3. sectione 3. inter rationes quas adduximus, propter quas fuit per se conueniens Deum fieri hominem, vna fuit ut ipsa Dei sapientia, quæ est lux vera, hominem doceret, ac viam salutis ostenderet.

Dico secundo. Potestas docendi per se conuenit Christo ratione hypostaticæ vnionis, vnde non solum homines, sed etiam Angelos docere, & illuminare potest. Conclusio est certa, quia Christus ratione vnionis habet quod sit caput omnium, & consequenter ut possit in omnes influere, modo omnibus accommodato. Deinde ratione vnionis est summus Sacerdos, ac supremus Ecclesiæ pastor, est autem de ratione summi Pontificis ut possit docere, & illuminare sibi subditos. Habet etiam Christus, quia Deus homo est, quasi ius quoddam ad saluandos: & redimendos homines, & hoc etiam titulo habet, ut possit eos docere, quatenus hoc medium necessarium est ad salutem hominum. Et hinc fit potuisse Christum obligare omnes homines ad suam doctrinam audiendam, quam ipse per se, vel per discipulos suos prædicabat, quod ad potestatem excellentiæ Christi pertinet, de qua superiori tom. disputatione 47. dictum est.

Dico tertio. Facultas, seu virtus dicendi fuit maior in Christo, quam in vlla creatura esse possit. Hoc constat primò, quia in Christo maior est scientia, & altiori modo, quam sic in vlla pura creatura, quam à principio habuit summè perfectâ & connaturalem. Vnde hoc illi singulare est, quod ita docet, ut nunquam discat. & ita sit magister, ut nunquam fuerit discipulus. Nam licet anima eius in primo instanti suæ creationis à Verbo scientiâ acceperit, & ea ratione dici possit tunc didicisse, & habuisse magistrum Deum ipsum. Quomodo intelligi possunt verba illa Ioannis 7. Doctrina mea, non est mea, sed eius, qui misit me, ut intelligit etiam Augustinus libro 1. de Trinita. capite 12. & Ambrosio lib. 2. de fide cap. 4. & lib. 5. cap. 2. tamen quia vnâ, & eandem personam cum Verbo componit, dicitur Christus hanc scientiâ à se habere, ut sibi connaturalem, & ideo non tam didicisse, quam perfectam scientiâ simul accepisse. Discere enim videtur quendam motum, seu progressum ab imperfecto ad perfectum significare. Sicut etiam Christus ut Deus per æternam generationem habet scientiâ à Patre, de qua etiam intelligi possunt verba illa, Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit, ut exponunt Augustinus 2. de Trinit. capite 2. & tract. 27. in Ioannem, & Cyrillus libr. 4. in Ioannem, capite 42. & Chrysost. homil. 58. in Ioannem, & nihilominus non potest propriè, aut verè dici Verbum discere à Patre, quia per naturalem generationem ab illo habet scientiâ perfectam. Ad hunc ergo modum loqui possimus de scientia humanitatis, quamuis nec tam perfecta illa sit, neque eodem modo connaturalis. Intelligendum ergo hoc est secundum quandam imitationem: non verò secundum æqualitatem. Et huic modo loquendi fauet Ambrosio priori loco supra citato. Nam cum prius dixisset Christum ut hominem protulisse illa verba. Mea doctrina non est mea, subdit, Iudei cum doctrinam eius secundum hominem quærent, & dicerent, quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit Iesus, Mea doctrina non est mea. Nam cum sine eruditione literarum doceat, non quasi homo, sed ut Deus videtur docere, qui doctrinam non didicerit, sed inuenit. Adinuenit enim omnem

Greg. Pap.

Ioan. 10.

Potestas docendi in Christo vnde orta.

Virtus docendi in Christo quæ excellens.

Ioan. 7.

Augustin. Ambros.

Augustin. Cyril. Chrysost. Excellens doctrina in Christo vnde.

Ambros.

Ambros.

nem

Baruc. 3. nem viam disciplina, & post hoc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, Baruc. 3. Hæc est ergo prima causa ob quam Christus in ratione doctoris super omnes eminet. Nam vt de eo testatus est Baptista Ioan. 3. Qui de calo venit, super omnes est, & quod vidit, & audiuit, hoc testatur. Secunda ratio est, quia in Christo est maior sanctitas, & vitæ puritas, quæ ad excellentiam doctoris maximè pertinet. Propter quod ipse dixit Ioan. 9. Quis ex vobis arguet me de peccato? & subiunxit, si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Tertia esse potest, quia Christus non solum habebat vim ad docendum exterius, proponendo veritatem (quod alij homines habere possunt) sed etiam interius illuminando, & virtutem dando ad intelligendum, & credendum altissima mysteria, quæ ratio non attingit. Denique quia ita docet, vt etiam rudes & quodammodo ad scientiam capessendam ineptos interdum subito sapientes reddat, & diuinorum capaces mysteriorum. Quarta excellentia est, quia docendo non solum illustrat intellectum, sed etiam cor penetrat, vt Paul. ait ad Hebræ. 4. Propter quod merito dicebant discipuli Ioan. 6. Quo ibimus: verba vitæ æternæ habes. Et ideo, quâdo volebat, vñico verbo ita excitabat hominem, vt suæ voluntati, & vocationi statim obediret, quod diuinæ virtuti, & efficaciar verbi tribuendum est.

Heb. 4.
Ioan. 6.
In modo docendi Christi inter omnes excellent.
D Thom.
Cajetan.
Ex quibus præterea intelligitur, excelluisse etiam Christum in modo docendi, vt art. 1. ad 2. D. Thom. notauit, vbi ex quatuor cõditionibus hoc declarat. Prima, quod suam doctrinam miraculis confirmabat. Secunda, quia loquebatur in virtute, & efficacia ad persuadendum. Tertia, quia magna autoritate suam doctrinam proponebat. Quarta, quia quod docebat, probitate vitæ confirmabat. Vbi Cajetan. addit cõditiones alias, quæ magis sunt proprietates doctrinæ, quam modi docendi, scilicet excellentia doctrinæ, vtilitas, rectitudo, integritas & consummata perfectio in rebus omnibus, quæ ad mores pertinent. Sed hæc (vt dixi) in materia de fide latius explicanda sunt.

SECTIO II.

Vtrum decuerit Christum cum offensione, & scandalolo Iudæorum docere.

Matth. 7.
Prou. 9.
Ecclef. 8.
Augustin.
Ratio difficultatis est, quia ipsemet Christus Dominus Matth. 7. mouet. Nolite dare sanctum canibus, neq. mittatis margaritas vestras ante porcos. Et Prou. 9. commonefacit Sapiens, Noli arguere derisorem, ne oderit te, Et Ecclef. 8. Non incendas carbonem peccatorum, arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Cum ergo Christum non lateret doctrinam suam nõ profuturam Iudæis, sed potius futuram eis occasione perperandi maiora mala, non par erat vt eos doceret, aut corripere. Nam & ratio charitatis hoc postulat, quæ prohibet dari proximis occasione peccandi: & ratio etiam ipsius doctrinæ, ne otiosa, & sine fructu projiciatur, atque omnino contemnatur. Quamobrem dixit Aug. libr. 5. hom. in 41. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non te terrem, & ser. 36. de Sanctis. Solent, (inquit) aliquoties doctores Ecclesie non pro negligentia peccantium, ab increpatione cessare, sed quia eos timent ex ipsa castigatione ad peiora mala prorumpere. Quam rationem docendi tanquam prudentem laudat, & commendat, & i. libr. de Ciuit. c. 9. Si propterea, (inquit) quisque obiurgandus, & corrigendus male agentibus parcat, quia oportunitus tempus inquirat, vel eisdem ipsis metuis, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam, & piam erudiendis impediunt infirmos alios, & premant, atq. a ueritate a fide, non videtur esse cupiditatis occasio: sed consilium charitatis. Eadem autem est ratio de doctrina, & de correptione, & hæc omnia quæ Aug. describit, in Christi predicatione, & doctrina, vsu venerunt: fuisse ergo charitatis consilium Iudæos ita dispositos non docere. Vnde Hieron. super Amos. 5. in hanc sententiam videtur interpretari verba illa. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. Quando (inquit) vir Ecclesiasticus, & prudens in domo Dei multas impietates esse cognouerit, & non solum multas, sed & fortes, quæ opprimere possint iustitiam, taceat in illo tempore, nec det sanctum canibus. Ac denique Gregor. libr. 6. in 1. Regum c. 2. prope finem. Quandoq. (inquit) mala Regum, & terra magnorum toleranda sunt, nec exasperari ad priora dilabantur. Vnde tandem augetur difficultas, quia prædicatio Christi exemplum esse debuit futuris Euangelij prædicatoribus, sed ij prædicare aut docere non debent, quando maius timeatur damnum, quam fructus speretur, ergo nec docere Christus debuit cum tanta Iudæorum ostensione.

Hieron.
Amos 5.
Greg. Pap.
Peccata publica etiam cum proximorum offensione quando corrigenda.
Hæc difficultas ferè communis est in materia de correptione fraterna, & de scandalo. Nam de illa interrogari solet (vt videre est 2. 2. q. 33. art. 7.) an interdum sit facienda publice, etiam si is qui corrigitur, non sit emendatus: de scandalo verò tractari etiam solet, an propter aliquorum scandalum correptio sit omittenda, atque eadem est ratio de doctrina. Et ad vtramq. questionem definiendam regula generalis est, quam hic statuit D. Thomas, salutem multitudinis preferendam esse bono priuato cuiuscunq. personæ. Vnde si doctrina per se bona sit, & ad salutem populi necessaria, aut valde utilis, vel ad bonum promouendum vel ad vitanda mala & peccata, omittenda non est, quanquam aliqui perturbandi sint, & peiores efficiendi. Quia illud scandalum non est datum, sed acceptum, nec factum, sed permissum, ordo autem charitatis non obligat ad vitandum huiusmodi scandalum cum aliorum detrimento, vel incommodo. Et eadem ratio est de correptione, si enim consideretur correptio, vt ad emendationem delinquentis dirigitur, sub hac ratione facienda non est, vbi desperatur fructus, necdum si maius detrimentum timeatur. At si reprehensio vnius consideretur, vt medium ad coercendos alios, vel saltem ad impediendum, nec scelera quorundam alios ad similia peccata inducant (quod solum habet locum in peccatis publicis) sæpe non est omittenda, non solum, si non speretur emendatio priuatæ personæ, sed neq. etiam si maiora mala, & peccata ipsius timeantur. Quia tunc reprehensio non est inutilis, cum communitati profutura speretur. Neque est iniusta, cum sit quadam innocentum hominum, & ipsius virtutis, ac diuini honoris iusta defensio, & poena quædam ipsius peccatoris de se medicinalis, ad quam infligendam ius habet Euangelicus prædicator, ac doctor, quatenus ad commune bonum necessaria est. Neq. etiam est contra ordinem charitatis, quandoquidem minus malum permittitur propter maius bonum, & scandalum illud non est actiuum sed passiuum, vt explicatum est. Et hæc regula sic explicata, & generatim sumpta, omnino certa est, & indubitata. Hoc enim sensu in Scriptura reprehenduntur Prophete, & pastores, qui peccata populi non corrigunt, sed dissimulant. Iai. 55. Clama, ne cesses, & c. 56. Canes multi non valentes latrare. Threnor. 2. Neque aperiebant iniquitatem tuam, & latissime Ezech. 3. 13. & 33. quibus locis videndus est Hieron. qui hoc rectè declarat, & confirmat. Et Greg. 2. p. Past. c. 4. Optime Chrysost. in illud ad Tim. 5. Peccantem coram omnib. argue. Quid (inquit) nõ Chrysost. ne maius scandalum facit coram omnibus arguere? Minime id quid. Magis n. scandalizantur, si peccata non ignorantes, nulli inferri videant cruciatu? sicut n. si impune peccatur, plurimi delinquant, ita si peccata puniantur, coplures virtuti student, loquitur autem de peccatis publicis, de quibus Paulus fuerat loquutus, vt omnes exponit, & per se clarum est. Nã de occultis Christus dixerat. Corripe illum inter te, & ipsum solum. De quare Bernar. epist. 78. eleganter dixit. Cum carpuntur vitia, & Bernard. inde

Matth. 18.
inde

Grg.

inde scandalum oritur, ipse sibi scandalum causa est, qui se-
cit quod argui debet, non ille qui arguit. Denique, nec cau-
rior sum in verbo, nec circumspicior in sensu illo qui ait,
Melius est ut scandalum oriat, quam ut veritas relin-
quatur. Quoniam nescio quid pro sit, si quod mundus
clamat, ego taceo, omniumque passim verbis intellecto fa-
tore solus d. simulo pitem. & Gregor. lib. 7. epist. 1. quae
refertur in c. Paulus 2. q. 7. exponens illud. Senorem
ne increpaueris. Hec regula tunc seruanda est, cum culpa
senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iunio-
rum, ubi autem senior ad interitum iuuenibus exemplum
praebet, ibi districta increpatione ferendus est. Atque mul-
ta similia de hoc argumento facile reperiuntur tam
in dictis, quam in factis, & exemplis: tum Prophe-
tarum, cum Apostolorum, & aliorum Sanctorum
Patrum. Quoniam vero haec generalis doctrina
indubitata sit, eam tamen ad praxim reducere, cir-
cumstantias omnes prudenter perpendere, ut do-
ctor Euangelicus, neque in tacendo segnis, neque in
loquendo imprudens sit, valde est difficile, & ideo
& constanti animo, & maturo iudicio pollere necesse
est eum qui hoc munere fungitur.

Prudentia
Christi in
instruendis,
corripendis
que Iudaeis.

Ex hac vero regula optime colligitur, pruden-
tissime egisse Christum Dominum constanter do-
cendo, & corripiendo Iudaeos, etiam si multorum
offensionem, & scandalum inde oriturum esse praec-
siret. Hoc constat primo ex ipsius Christi authori-
tate, qui nihil potuit imprudenter, aut praeter cha-
ritatis ordinem operari: sed legimus ita fecisse, &
discipulis interdum ipsum monentibus quod Iu-
daeum scandalizarentur, respondisse. *Sinite illos: caci-
sum, & duces caecorum.* Secundo id patet ex re ipsa. Nam
doctrina Christi erat vniuerso mundo necessaria
maiorisque momenti erat, quod vel pauci illam re-
ciperent, qui erant futuri veluti semen disseminan-
dum, & multiplicandum in vniuerso orbe, quam
quod Iudaei offensionis, ac scandalum occasionem ac-
ciperent. Deinde Iudaeorum principes, Scribae, &
Pharisaei publice corrumpebant populum, eiusque
salutem impediabant: tum prauis moribus: tum er-
iam resistendo veritati, & doctrinae Christi, quae
sufficiens illis proponebatur, reprehendendo, &
ideo non obstante qualibet eorum offensione, pu-
blice a Christo obiurgandi fuerunt. Denique quam-
uis ex doctrina, & reprehensione Christi Iudaei sum-
pturi erant occasionem occidendi ipsum, quod gra-
uius peccatum fuit, quam cetera omnia, quae antea
ipsi commiserant, tamen hoc eorum malo bene u-
sus erat Deus ad maximum bonum, qualis est re-
demptio, & totius mundi salus. Non ergo debuit
Christus doctrinam suam celare, ne illud malum
fieret, sed potius debuit, neque a docendo, neque
increpando desistere, ne tantum bonum impedire-
tur.

Responsio ad
argumenta
in oppositum

Rationes autem dubitandi in initio posita so-
lum procedunt in illis casibus, quando ex doctrina,
aut reprehensione, vel priuata, vel publica nullum
speratur commodum, sed solum detrimentum. Vel
certe quando tantum est malum, quod timetur,
tamque exiguum bonum, quod speratur, ut hoc
potius praetermitti debere, quam illud permitti,
prudenter iudicetur. Sapientia enim huiusmodi casus
morales euenire possunt cumque haec res, neque
intrinsece mala sit, neque necessario bona, sed iux-
ta diuersas circumstantias interdum vnum expe-
diat, interdum aliud, ideo Scriptura, & sancti nunc
vno modo loquuntur, nunc alio, ubique tamen i-
dem intendunt, nimirum ut id semper fiat,
quod ordini charitatis magis fuerit
consentaneum.

*

*

*

Haec quaestio necessaria est, ut intelligatur, qua
etate Christus mortuus est, & ideo diligenter
est hoc loco discutienda. Prima ergo sententia est
quorundam Patrum, qui solum vnum annum Chri-
sti praedicationi adscribunt. Ita dicit Clemens A-
lexand. libr. 1. Strom. non longe a fine, afferens illud,
Isai. 61. Spiritus Domini super me, eo quod vixit me Do-
minus, & infra, Ut predicarem annum placabilem Domi-
no, & in hanc sententiam merito citari possunt La-
tinius, Iulius Africanus, & alij, qui asserunt, Chri-
stum trigesimo aetatis anno obiisse, quos infra suo
loco referemus. Tribui etiam solet haec opinio Ter-
tulliano, qui libro cont. Iudaeos, capit. 8. dicit. Chri-
stum mortuum esse anno 15. Imperij Tiberij. Sed hic
author potius videtur errasse ponens initium praedicationis Christi anno 12. Tiberij, ut supra ex lib. cont. Marcion. annotauimus.

Clem. Alex.
Isaia 61.

Lañan.
Iul. Afr.
Tertul.

Secunda sententia est, Christum Dominum duo-
bus annis praedicasse. Haec videtur fuisse sententia
Apollinaris Laodicensis apud Hier. Dan. 9. & eam se-
quitur Cyrill. Alexandr. in 29. capit. Isaiae in princi-
pio.

Apol.
Hieronym.
Cyril.

Tertia sententia & communis est Christum praed-
icasse tribus annis, & nonnullis mensibus, cuius
auctores postea referam.

Quarta sententia esse potest, posuisse in praedica-
tione super quatuor annos, menses quoque aliquot.
Ut autem de his tribus sententijs vltimis seramus
iudicium (prima enim in omni sensu est improba-
bilis) est animaduertendum, initium praedicationis
Christi posse computari vel a baptismo, vel a mira-
culo nuptiarum. Quae differentia in nostra senten-
tia multum ad praesentem quaestionem refert. Exi-
stimus enim annum integrum inter illa duo
mysteria intercessisse: qui vero hoc negant, tamen
que aliquod menses intercessisse asserunt, nihil re-
ferre putant, quod a baptismo, vel nuptijs praedica-
tionis sumatur exordium.

Primo igitur certum existimo a miraculo nu-
ptiarum posuisse in praedicatione Christum ut mi-
nimum duos annos, & aliquot menses aut dies, in
quo fere omnes sancti Patres conveniunt, idque ex
discursu Euangelij Ioannis manifeste colligunt. Na
capite 2. statim post miraculum nuptiarum com-
memorat vnum pascha, quod Christus Ierosoly-
mis celebravit, deinde c. 6. aliud memorat, quod si-
ne vlla dubitatione est distinctum a superiori (ut a-
perte constat ex historia illorum capitum) atque ita
numeratur vnus annus, qui ut minimum inter illa
Paschata interpositus est. Rursus cap. 11. & 13. men-
tionem facit alterius paschatis, in quo Christus in-
terfectus est, quod esse distinctum a reliquis eodem
modo ex eadem historia constat, ergo necesse est,
ut praedicationis Christi durauerit saltem duobus an-
nis, quia tria paschata non possunt minori tempore
numerari. Quibus insuper addendum est tempus
illud, quod a miraculo nuptiarum vsque ad proxi-
mum pascha fluxit, quod iuxta sententiam supra a
nobis approbatam fuit a 6. die Ianuarij vsque ad fi-
nem Martij. Ex eadem sententia sequitur, si nu-
meremus annos praedicationis Christi a baptis-
mo, non posse a nobis pauciores, quam tres numera-
ri, & hinc etiam euidenter confutatur prima senten-
tia. Quia siue initium praedicationis sumatur a ba-
ptismo, siue a miraculo nuptiarum, non potest praedica-
tionis tempus vno anno coartari. Alia vero
tres sententiae omnes habent aliquid probabilitatis,
vel statuendo diuersum praedicationis initium, vel
iuxta diuersas sententias probabiles circa annum,
qui a baptismo ad nuptias vsque fluxit, diuersimode
sentiendo.

Ioan. 2. & 1.

Ioan. 11. & 13

Iam

Iam vero inquirendum superest, an ex historia Evangelica colligi possit alius huiusce predicationis annus, petitio ipsius principij, à miraculo nuptiarum, atq; adeo vtrum ab eo die numerandi sint tres anni, an tantum duo. Nam quod vltra triennium non extendatur, ex eadem historia Evangelica Ioannis ferè omnes authores colligunt. Quia Ioannes late describit, & per diuersa paschata indicat annos predicationis Christi, saltem à miraculo nuptiarum. Et ideo vanum esset, & sine fundamento, aliquem annum addere qui ex hac Evangelica historia non colligatur, vt dicemus latius agentes de morte Christi. Tota igitur controuersia posita est in expositione illorum verborum Ioannis 5. *Post hac erat dies festus Iudaorum, & ascendit Iesus Ierosolymam.* Dubium est enim quod fuerit illud festum. Si enim fuit pascha, cum illud sit distinctum ab ijs, quæ ca. 2. & 6. memorantur, atq; illis interiectum, necesse erit addere alium annum: si autem fuit festum Pentecostes, vel aliud aliud, nulla erit necessitas addendi alium annum. Prima ergo expositio, & satis frequens est, illud festum non fuisse pascha. Primo quia non est verisimile Ioannem ca. 5. mentionem facere vnus paschatis, & statim c. 6. transitum ad aliud facere vnus integri anni historia prætermissa.

Secundo, quia Ioann. diligens fuit in designandis festis paschæ, vt feriem, & veluti chronologiam predicationis Christi notaret, & ideo distinctè semper illa nominat, & non communi, vulgarique voce *dies festi*. Denique, quia alias necessarium erit nobis admittere quatuor annos integros predicationis Christi, numerando à baptismo, quod inauditum est, & cum humana historia, & chronologia non potest coherere. Quod si inquiras quodnam fuerit illud festum de quo fit mentio Ioan. 5. Chrysost. ho. 35. in Ioann. (quem Theophyl. & Euthy. sequuntur) sine probatione dicit, *Vt mihi videtur Pentecostes*, Cyrillus vero libr. 2. cap. 123. eandem tenens sententiam probationem adiungit, quia hoc festum videtur immediate sequitur post pascha, at vero Iudæi nullum festum immediate post pascha celebrant, nisi Pentecostes. Assumptum vero solum probatur à Cyrillo ex ordine historia, quia postquam cap. 2. Ioannes mentionem fecerat paschatis, vsq; ad c. 5. non fecit mentionem alterius diei festi. Quæ tamen probatio non est efficax, scpe enim Evangelica historia facit transitum ab vno festo ad aliud remotum. Hanc sententiam docuit etiam Apollinaris, apud Hiero. Daniel. 9. D. Thom. Albert. Magn. Lyran. & alij super Ioann. & Petrus Comestor in histor. Euang. cap. 81.

Secunda expositio est illud festum fuisse pascha. Ita sentit Iren. libr. 2. aduers. Hæres. capi. 39. & optimè Rupert. libr. 5. in Ioannem in initio. Atque idem sentiunt alij antiqui Patres, infra citandi, & ex recentioribus Iansen. & Fran. Tolet. ibi, & Benedic. Pererius libro 11. in Daniele quæstion. 7. Suaderi potest primo ex absoluta appellatione *dies festi*. Quia neque in veteri, neque in nouo testamento, alia solemnitatis absoluta *dies festi* appellatione nominatur, pascha vero quasi per antonomasiam sæpe ita vocatur, præsertim à Ioanne, vt cap. 4. *Cum venisset in Galilaam exceperunt illum Galilæi, cum omnia vidissent, quæ fecerat Ierosolymis in die festo*, & ipsi enim venerant ad diem festum. Vbi per diem festum necesse est Pascha intelligi, alludit enim ad historiam, quam capi. 2. narrauerat, quomodo scilicet in die Paschæ, eiecisset Christus ementes, & vendentes è templo. Et videtur hic locus non parum vrgere, quia paucis interpositis subdit Ioan. in cap. 5. *Post hac erat dies festus Iudaorum*, ergo verisimile est in eadem significatione vsum esse illa voce. Præsertim quia statim cap. 7. agens de alia solemnitate sub nomine *dies festi*, non simpliciter ita vocat, sed cum addito *diem festum Scenopagia*, cap. vero 11. & sequentibus sæpe Pascha, *diem festum*. Fr. Suarez. tom. 2.

sum, simpliciter appellat. Et similiter Matth. cap. 26. *Matth. 26. Non in die festo*, & Luc. cap. 2. *secundum consuetudinem diei festi*, quem paulo antea Pascha vocauerat. Secundo est vehemens coniectura, quia illa omnia, quæ à Ioanne narrantur dicta, & facta à Christo, à capit. 2. (vbi in die Paschæ dicitur eiecisse ementes & vendentes è templo) vsque ad cap. 5. (vbi fit mentio huius diei festi) non videntur potuisse fieri solis quinquaginta diebus, imò neq; breuiori tempore, quam integro anno.

Quod ita declaratur: nam c. 3. narrat colloquium Christi cum Nicodemo, & postea dicit venisse Iesum cum discipulis in Iudæam, & ibi moratum esse, & baptizasse. Quo loquendi modo significat non paucis diebus illic habitasse. Deinde (quod magis vrget) cap. 4. narrat rediisse Christum à Iudæa in Galilaam, & transiisse per Samariam, & post colloquium cum Samaritana inter alia dixisse discipulis. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt: & messis venit?* Quæ verba perpendens Rupert. supra inquit, *Constat, quod vbi non plus, quam quatuor menses ad messem interunt, paschalis festiuitas non plus, quam duobus mensibus longe abest, quo vsque spatio temporis nulla alia festiuitas occurrit, in qua secundum præceptum legis omne masculum deberet apparere ante conspectum Domini.* Et ex eisdem verbis colligunt S. Thom. Hugo Cardin. Claud. Caiet. & Iansen. illud tempus, in quo Christus Samariam pertransiit, fuisse hyemale, inter Nouembrem, & Ianuarius. Quia tempus messis in Iudæa erat mensis Martij, vel Aprilis, vt colligi potest ex Iosue 4. Vbi dicitur populus Israel pertransiisse Iordanem decimo die mensis primi (qui erat Martius) & tamen cap. 3. dictum erat, illud fuisse tempus messis his verbis, *Iordanis ripas aluei sui tempore messis impleuerat.*

Dicere verò aliquis posset in c. 4. per mensem primum non intelligi Martium, qui solum erat primus in ordine ad festiuitates celebrandas, sed Septembrem, qui erat primus in computatione anni communis Hebræorum. Sed hæc fuga excluditur, cap. 5. vbi dicitur *transmisso Iordane fecisse populum Phasæcima quarta die mensis ad vesporem in campis Iericho*, non autem est dubium quin de eodem mense intelligatur: quia non permanserunt ibi sex menses, vt facerent pascha, sed post quatuor dies illud celebrant, vt notauit Theod. quæ. 2. in Iosue, & indicauit Hieronym. libr. 1. contra Iovinianum circa med. A. liter eludi posset hic locus, dicendo verbis illis capit. 3. non affirmari illud fuisse tempus messis, sed comparari venundationem illam cum ea quæ tempore messis fieri solebat. Nam Septuaginta legunt, *sicut in tempore messis*. Sed huic expositioni obstat vulgata lectio, quæ non habet, *sicut in tempore*, sed simpliciter, *tempore messis*. Secundo, quia statim ca. 5. post narratam paschæ celebrationem additur, & *comederunt de frugibus terre die altero* (scilicet die decimo quarto mensis primi) *et panes, & polentam eiusdem anni, defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terre, neque vñ sunt vltra cibo illo filij Israel, sed comederunt de frugibus presentis anni terre Canaan.* Ergo negari non potest, quin eo tempore fructus terræ iam ad maturitatem peruenissent, atque adeo, quod tempus messis iam instaret. Atque ita exponunt hunc locum Lyranus, Hugo, & Abulens. qu. 35. in cap. 3. qui aduertunt primum mensem Iudæorum interdum coincidere cum nostro Aprili, & ita potuisse accidere illo anno, cumque illa regio calidior sit, & prope Iordanem esset, & humidior, atque magis disposita, vt citius fructus maturefcerent, fieri potuisse, vt eo iam tempore aliqua ex parte messis inciperet: Et confirmari potest hæc sententia ex Leuit. 23. Vbi præcipitur in paschate offerri manipulum primitiarum coram Domino, quod est signum eo tempore segetes fuisse iam aptas ad messem. Vnde Ioseph 3. antiquit. ca. 12. refert, tempore paschatis

Testimoniū
Io. 5. de die
festo Iuda-
orum.
1. expositio.

Chrysost.
Theophyl.
Euthym.
Cyril.

Apollin.
Hieronym.
D. Thom.
Albert.
Lyran.
Petr. Com.
2. expositio.
Iren.
Iansen.
Tolet.
Pererius.

Testimoniū
Io. de die fe-
sti intelligi-
dum de Pa-
schate.

Ioann. 1. & 3.
Ioan. 7. & 11.

Ioan. 4.
Tempus mes-
sis in Iudæa
quando.

Rupert.

D. Thom.
Hugo Card.
Claud.
Caietan.
Iansen.

Ios. 3. & 4.

Ios. 5.

Theod.
Hierony.

Hugo.
Abulens.
Lyran.

Leuit. 23.

Ioseph.

Lyran.
Exod. 5
Leuit. 23

Ioan. 5.

Ioan. 2.

Caietan.
Canus.

Exod. 23.

solita esse omnia fata habere iam culmum, spicam, & grana, & quamuis non essent omnino perfecta, fuisse tamen vicina maturitati, saltem in aliquibus locis, ita ut meti possent, ut manipulus spicarum offerretur Deo, utque possent grana torreri, & in sacrificium offerri. Quod etiam notauit Lyranus supra, & Leuit. ac Exod. 23. ubi propter hanc causam primus mensis vocatur, *Mensis nouorum*, & apertus capit. 23. *Mensis nouarum frugum*. Relinquitur ergo, tempus, illud, in quo Christus pertransiit Samariam non potuisse esse paulo ante pentecostem. Illud namque tempus non distabat à tempore mēsis per menses quatuor, maxime cum Christus non de fine: sed de initio mēsis loquatur. Sic enim ait: *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*, ergo illud festum, de quo Ioannes loquitur cap. 5. non potuit esse festum Pentecostes, quia illud proxime sequutum est post transitum Iesu per Samariam. Et eadem ratione concluditur, non posse etiam explicari locum illum de festo tabernaculorum proximo Septembri celebrato post illud Pascha, cuius facta fuerat mentio capit. 2. Quia in illo temporis interuallo nunquam defuere quatuor menses, vsque ad tempus mēsis, ergo festum illud non fuit festum tabernaculorum. Nec etiam esse potuit festum Encæniarum (ut Caietan. finxit Ioan. 5. quem Canus sequitur lib. 10. de locis. ca. 5. ad 6.) Tum quia illud festum non erat adeo solenne, ut simpliciter *dies festus*, quasi per antonomasiam diceretur. Quæ ratio generaliter probat de reliquis festis minoribus, quæ hyeme celebrabantur. Tum etiam, quia illo modo non possunt commode verba Christi explicari. Oportuisset enim, ut ante mensem Nouembris, in quem festum illud incidebat, Christus transisset per Samariam, ergo tunc dicere non posset. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*. Eo vel maxime, quod solum in tribus solemnioribus, festis Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum tenebantur omnes Iudæi, qui terram promissionis incolebant, Ierosolymam ad sacrificandum ascendere, ut constat Exod. 23. Illud autem festum, de quo Ioannes loquitur ca. 5. videtur fuisse aliquod ex istis, ut omnes grauiore expositores intelligunt. Nam verba illa: *Erat dies festus Iudeorum, & ascendit Iesus Ierosolymam*, vim habent causalis propositionis, scilicet ascendisse Christum, quia erat dies festus, nimirum in quo omnibus ascendendum erat. Cum ergo ostensum sit non fuisse festum Pentecostes, neque Tabernaculorum, nihil sanè verisimilius dici potest, quam quod fuerit festum Paschæ.

Contra hoc verò aliqui contēdunt, tempus mēsis apud Iudæos fuisse eodem tempore, quo est apud nos. Nam Leuit. 23. & Exod. 23. indicatur finem mēsis in fine Augusti accidere solitum esse, atque ita colligunt festum Paschæ incidere solitum in principium veris, ut Hieron. notat Aggæi. 2. Vnde fit eodem tempore paulo post pascha potuisse Christum dicere. *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*, ut sensit Cyrill. lib. 2. in Ioan. cap. 106. Cui sententiæ fauet Chrysostom. tom. 2. sermone quodam de Ioanne Baptista, ubi dicit, Iunium fuisse initium mēsis frumentaceæ. Iuxta quam sententiam rectè intelligi potest locus Ioannis de festo Pentecostes. Sed præterquam quod illa expositio de festo Paschæ non solum prædictæ ratione sed etiam alijs, & quidem efficacibus nititur. Hæc, quæ ad refellendam prædictam rationem afferuntur, nullo modo nobis suaderi possunt. Tum quia loca Scripturæ in contrarium adducta, tam aperta sunt, ut vix possint explicari. Tum etiam, quia id quod dicitur, repugnat & principijs geographiæ & omni historiæ, ac experientiæ. Tum etiam quia ex citatis locis Leuitic. & Exod. 23. constat in festo Pentecostes solitas esse offerri primitias frugum, & duos panes ex primitijs critici. Vnde fit eo tempore non solum inchoatum,

sed fere finitum fuisse tempus mēsis: in fine autem Augusti non solum mēsis, sed etiam vindemia finita erat, ut eisdem locis Lyranus notat, & Deuter. 26. Quod etiam est signum multo antea finitum fuisse tempus mēsis. Nullo ergo modo à Paschate ad initium mēsis poterat quatuor menses superesse, non ergo potuerunt illa verba à Christo dici tempore veris, statim post pascha, sed tempore hyemis ante pascha, ergo locus ille lo. 5. non potest de Pentecoste, sed solum de pascha intelligi.

Ex hac ergo huius loci expositione (quam veriorē existimamus) concluditur, quatuor paschata numerari à Ioanne post miraculum nuptiarum, & consequenter numerando prædicationem Christi ab eo miraculo, tribus annis: & tribus mensibus durasse, atque adeo (si sumamus initium à tempore baptismi) numerandos esse quatuor annos, & tres menses.

Sed supersunt nonnullæ difficultates circa hanc sententiam. Prima est, quia nullus author grauis tot annos tribuit prædicationi Christi, sed ad summum tres, & aliquot menses, ut videre licet in Euseb. libr. 8. de Demonstrat. demonst. 2. circa finem, ubi tamen non declarat, ex quo tempore illorum annorum ferri ordiatur, in chronico tamen aperte, ut videtur illos à baptismo Christi repetere, ut patet computando quæ narrat in Olympiade ducentesima prima, & ducentesima secunda, sed apertissime id docet libr. 1. hist. c. 10. Eusebium autem secutus est Hieron. Daniel. 9. ubi Theodoret. idem sensit, & clarius Ignat. epist. 5. ad Trallianos, *Tricennium prædicaui Evangelium, signa, & prodigia patraui*. Et videtur initium sumere à baptismo, cuius proxime mentionem fecerat. Eandem sententiam videtur tenuisse Beda libr. de ratione temporum, cap. 45. & Aymo Apocalyp. 12. & Nicephorus lib. 1. cap. 29. Ad hanc difficultatem nihil aliud habeo quod respondeam, nisi hos Patres non satis distinxisse inter initium prædicationis Christi sumptum à baptismo, vel à miraculo nuptiarum, solumque docere voluisse ex Euangelio Ioannis tres tantum annos colligi posse, quod nos etiam fatemur. Cæterum, quia extradiatione Ecclesiastica alium integrum annū credimus intercessisse à baptismo, vsque ad nuptias, ideo annum alium annumerandum censemus, siue ille annumeretur inter annos prædicationis (quia extunc cœpit docere, & discipulos congregare, ut supra diximus) siue dicatur initium potius esse sumendum à nuptiis, quia tunc cœpit Christus Dominus manifestare gloriam suam hominibus, & doctrinam miraculis confirmare, quod ad modum loquendi spectat. Quamuis prior, qui initium doctrinæ sumit à baptismo, videatur magis vltatus, magisque historiæ, & rationi conformis.

Secunda difficultas sumitur ex Luca c. 3. dicens. *Anno quinto decimo imperij Tiberij Caesaris, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha factum est verbum Domini super Ioannem*. Ex quibus verbis colligi videtur totum tempus prædicationis Christi comprehensum esse sub pontificatibus Annæ, & Caiphæ, id est, baptizatum esse eo anno quo Annas pontificatum gerebat, mortuum autem in pontificatu Caiphæ, Nam hoc posterius manifestum constat ex omnibus Euangelistis, illud vero prius ex hoc loco Lucæ deducitur. Et ita interpretatur Euseb. lib. 1. Hist. ca. 10. Rursus addendum est ex Iosepho lib. 8. antiquitatum cap. 3. inter Annam, & Caipham tres Pontifices intercessisse Ismaelem, Eleazarum, & Simeonem, qui eo tempore annui erant, ut aperte colligitur ex verbis illis Ioannis cap. 11. *Cum esset pontifex anni illius, & Iosephus idem testatur, ergo tota Christi prædicatione à baptismo vsque ad mortem non potuit integrum quadriennium efficere*. Quo argumento vsus est Eusebius supra, eumque imitatur Nicephorus.

Tempus prædicationis Christi quantum.

Hieron. Theod. Ignat.

Beda. Aymo. Niceph. Responsio.

2. Obiectio. Luc. 3.

Euseb. Ioseph.

Ioan. 11.

Euseb. Nicephorus.

Sed

Responsa

Sed est valde inefficax argumentum multis de causis. Primo quia etiam si concedatur omnia, quae in argumento sumuntur, consequentia non est efficax. Quia cum non conficitur, quando inciperet, vel finiretur annus Pontificatus illorum pontificum, fieri recte potuit, ut sub illis quinque pontificibus Christus praedicauerit quatuor annis integris, & aliquot mensibus, ut facile constabit intuenti, & consideranti. Secundo, quia non satis constat Annam fuisse Pontificem eo anno, quo Christus est baptizatus. Quia verba illa Lucae. *Sub principibus Anna, & Caipha*, valde ambigua sunt & obscura. Quia nudè, ac simpliciter accepta potius indicare videntur, verumque fuisse Pontificem eo anno, & per vices ministrasse, ut sentit Augustinus. tract. 49. in Ioannem. Alij existimant Caipham tunc fuisse Pontificem, & durasse vsque ad Christi mortem. Nam illum accepisse pontificatum quarto, vel quinto anno imperij Tiberij, & in eo perdurasse vsque ad finem imperij eius, non obscurè colligitur ex Ioseph. libr. 18. antiqu. capit. 3. & 7. quod vero ipse solus summus Pontifex esset, satis constat ex Matth. 26. *Duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum*, & Ioan. 11. & 18. *Duxerunt eum ad Annam primum, erat enim sacer Caipha*, quærat Pontifex anni illius, ergo etiam ille solus erat Pontifex anno baptismi Christi. Cum illo autem numeratus est Annas à Luca: tum quia Pontificatum paulo ante gesserat, & idcirco nomen principis sacerdotum nondum amiserat: tum etiam quia erat sacer Caiphae, ac propterea eximia autoritate pollebat, atque hanc ob causam in passione Domini ad illum primum ductus est Christus. Quidam etiam arbitrantur illum fuisse summum praesidem concilij Sanhedrin, ad quod verè, vel falsè doctrinæ iudicium pertinebat. Nam Act. 4. in illo Concilio, quod aduersus Apostolos coactum est, Annas vocatur princeps sacerdotum, Caiphas vero deinde cum reliquis annumeratur, cum tamen eodem anno, quo mortuus est Christus, durante adhuc Caiphae Pontificatu concilium illud congregatum sit. Alij denique arbitrantur Annam, & Caipham alternis annis pontificalem dignitatem obtinuisse, & ideo dictum esse, *sub Anna, & Caipha*: Quia licet eo anno, quo Ioannes Baptista praedicare cepit, alter eorum tantummodo esset Pontifex, tamen sub veriusque pontificatu praedicauit, & uterque dicebatur princeps sacerdotum, quia alternis sibi annis mutuo succedebant. Quæ res sic probari non potest, ita neque alia efficaciori ratione refelli. Ad præterea contra Eusebium non potuissè dici, factum esse verbum Domini sub Anna, & Caipha, solum quia Caiphas futurus erat pontifex post triennium, vel quadriennium, quando Christus mortuus est, præsertim cum eo anno defunctus iam esset Ioannes, nullo ergo modo consistere potest Eusebij computatio. Quod præterea euidenter conuincitur, quia historia Iosephi qua Eusebius utitur, antecessit fere per quatuordecim annos Christi baptismum, & prædicationem: accidit enim in initio imperij Tiberij, ut dictum est, & euidenter constat ex Iosepho. Ex quo etiam facile intelligitur, non fuisse perpetuo obseruatum eo tempore, ut summi pontifices annui essent. Sed hoc pendebat ex Romanorum imperio: qui interdum breuiori tempore interdum diuturniori, aliquem pontificem patebantur esse. Vnde etiam euenire poterat, ut idem sepe pontifex fieret. Ex historia ergo, & successione horum pontificum nihil certi de tempore prædicationis Christi haberi potest.

Augustin.

Matth. 26.
Ioan. 11. & 18.
Anna, &
Caipha pontifex
annis
qualis,

3 Obiectio.
Responsio.

Tertia, grauis difficultas sumitur ex chronologia Romana Euangelicæ coniuncta. Nam ex Luca habemus Christum baptizatum esse anno decimo quinto imperij Tiberij, sed historiae graues anno eiusdem imperij decimo octauo, Christum defunctum memorant, ergo non potuit prædicatione Christi à baptismate inchoata, quatuor integris annis du-

Fr. Suarez, Tom. 2.

rare. Sed hæc difficultas commodiorem locum habebit infra cum agemus de anno quo defunctus est Christus, vbi docebimus euenisse id quidem anno decimo nono imperij Tiberij, ex quo etiam confirmabitur amplius sententia, quam hic defendimus.

QUESTIO XLII.

De miraculis à Christo factis in generali, in quatuor articulos diuisa.



Einde considerandum est de miraculis à Christo factis: & primo in generali, secundo in speciali de singulis miraculorum generibus: tertio in particulari de transfigurationis ipsius.

Circa primum quaeruntur quatuor.

Primo, virum Christus debuerit miracula facere.

Secundo, virum fecerit ea virtute diuina.

Tertio, in quo tempore inceperit miracula facere.

Quarto, virum per miracula fuerit sufficienter ostensa eius diuinitas.

ARTICVLVS I.

Virum Christus debuerit facere miracula



Primum sic proceditur. Videtur, quod Christus miracula facere non debuerit. Factum enim est, ut Christus verbo ipsius debuit concordare. Sed ipse dicit Matth. 16. *Generatio mala, & adultera signum quaerit, & signum non dabitur ei, nisi signum Iona Prophetae*. Non ergo debuit miracula facere.

2. Præterea, sicut Christus in secundo aduentu venturus est in virtute magna & maiestate, (ut dicitur Matth. 24.) ita in primo aduentu venit in infirmitate: secundum illud Is. 53. *Virum dolorum, & scientem infirmitatem*. Sed operatio miraculorum magis pertinet ad virtutem quam ad infirmitatem. Ergo non fuit conueniens, quod in primo aduentu miracula faceret.

3. Præterea, Christus venit ad hoc ut homines saluaret per fidem, secundum illud Heb. 12. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum*. Sed miracula diminuant meritum fidei, unde Dominus Ioan. 4. dicit, *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*. Ergo non videtur, quod Christus debuerit miracula facere.

Sed contra est, quod ex persona aduersariorum Dei dicitur Ioan. 11. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?*

Respondeo dicendum, quod diuinitus conceditur homini miracula facere propter duo. Primo quidem, & principaliter ad confirmandam veritatem quam aliquis docet, quia enim ea, quæ sunt fidei humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari: sed oportet quod probentur per argumentum diuinae virtutis, ut dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur esse à Deo, sicut cum aliquis defert literas annulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur.

Secundo, ad ostendendam presentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti, ut dum sc. homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Vnde dicitur Galat. 3. *Qui tribuit vobis Spiritum operatur virtutes in vobis*. Virumque autem circa Christum erat hominibus manifestandum, scilicet quod Deus esset in eo per gratiam, non adoptionis, sed vnionis, & quod eius supernaturalis doctrina esset à Deo. Et ideo conuenientissimum fuit, ut miracula faceret. Vnde ipse dicit Ioannis decimo. *Si mihi non vultis credere, operibus credite*. Et Ioannis 5. *Opera quæ dedit mihi*

Bb 2

pater

234.
Op. 2. c. 7. &
Op. 3. c. 135. &
Op. 11. a. 17. &
Op. 60. c. 51. pr.